

# Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 253

In nomine sancte et individue Trinitatis. Erlebaldus divina misericordia Stabulaus abbas, Wirico de Longia et successoribus suis. Utiliter satis ac provide rerum gestrarum ordo ad notitiam futurorum scripto transmittitur, ne per ignorantiam legitimus tenor permutetur. Unde neverit omnis nostra posteritas quod pater tuus Heribrandus tam Sibi quam successoribus Suis ecclesiam que est in villa Longie et eam que est in Monte Sancti Rainheri ab antecessoribus nostris, domno videlicet Cunone abate et domno Joanne abate, jure feodi obtinuerat pro supllemento beneficii quod pro eo habebat, ut semper et jugiter in castello nostro Longie maneret, ita videlicet ut, quo cienscunque supradicte ecclesie defunctis sacerdotibus vacarent, ipse manu Sua ipsas ecclesias daret et personam ad investituram altaris per Se conduceret. Verum tempore predecessoris nostri venerabilis abbatis Wibaldi, defuncto fratre Roberto presbytero, qui easdem habuerat, ipse dominus Wibaldus ullis precibus, nullo consilio adduci potuit, ut ecclesiasticam possessionem a laico concederet; sed quia illum tamquam virum bonum ac fidelem militem diligebat et tam heredes tuos quam eum in mansione predicit castelli servare volebat, ex consilio fratrum et hominum, ecclesie utilitati et honori Suo aliter providere curavit. Concessit enim ei et scripto suo jure perpetuo firmavit, ut Suum esset, vacantibus prefatis ecclesiis personam idoneam et canonicam sibi vel successoribus suis ad investendum presentare, nec liceret aliquando sibi vel alicui abbatii personam que ab illo vel heredibus suis exhibita fuisset, aliqua conditione vel exactione gravare aut retardare, sed sine ulla pactione eidem persone prenominatas ecclesias sua manu daret et sacramento fidelitatis accepto ad donum altaris suis litteris ac testibus conduceret. Quod nos quoque ad instar beate memorie fratris nostri Wibaldi abbatis tibi, Wirice, sigillo nostro confirmamus. Quam confirmationem si quis aliquando labefactare et violare temptaverit et, te invito, personam aliquam in sepe dictis ecclesiis intruserit, offensam Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Remaclii in tremendo judicii die incurrat. Actum est hoc Stabulaus, anno dominice incarnationis M° C° LX° I°, regnante domino Frederico glorioso Romanorum imperatore augusto, Henrico II° Leodiensi presule, anno ordinationis nostre tertio. Testes hi sunt : Henricus decanus, Simon prepositus, Renerus camerarius, Gernaudus capellanus; de laicis vero : Nicholaus de Longia, Lambertus de Malenpreith, Erthmannus et Adelardus filii Nicholai, Robertus de Scorices, Baldeuinus de Lamellis, Adelardus de Rona, Bartholomeus de Villa, Adelardus de Lernov, Alardus Stabulensis villicus.